



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

3. Nostra sententia proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

& modum quo nos discurremus, & ex vno in aliud in cognitione proficimus, & homo ipse dum ista cognoscit, non discurret, nec in sua cognitione ex vno in aliud procedit, eodem modo Deus cognoscit aliqua per nostrum intellectum distinguere, ideo tamen non sequitur ea etiam distinguere per intellectum diuinum aliquo modo, sicut ex eo quod sciat, & cognoscat nos intelligere per species materiales spiritualia, & conuersione ad phantasmata, & ita habere de rebus spiritualibus alienos conceptus, instar rerum corporearum, ipse tamen in suo intellectu non potest ita intelligere, & similes de rebus conceptiones formare, nam talis conceptus obiectivus in nostro intellectu pendet ex formali quem habemus, quo solo representari potest illo modo, cumque Deo talis conceptus formalis non conueniat non potest habere nostrum obiectivum, ita praesentem, vt nobis praesens est, cum illis imperfectionibus, veluti conceptus auditus non habet eo modo quo nos, quia non habet visionem, seu auditionem, &c.

Deinde obserua, vt aliqua per intellectum distinguantur, opus esse obiectiones, tanquam distinctas, & vt talia, sua cognitione representari, cognoscendo obiectum, quod non habet talem distinctionem, ac si haberet illam; Nec satis esse vt cognoscat illa posse distinguere per alium intellectum, alio modo intelligentem; veluti vt aliquis intelligat rem, per discursum & relatè ad aliam opus est, vnum ex alia in sua ipsius cognitione colligere: ergo cum Deus non cognoscat eo modo imperfecto, non potest attributa distinguere quin optimè sciat ea, per nostrum intellectum suo modo imperfecto, cognoscen-tem distinguere, quia ita nouit nostrum imperfectum modum cognoscendi, vt tam n eo modo ipse non intelligat quare videat Deus attributa sua à nobis distinguere, & intueatur nostrum conceptum formalem, tamen nunquam ei attributa in sua cognitione obiciuntur, sicut scit nostro intellectu representari, scit igitur Deus ea posse à nobis nostro imperfecto modo distinguere, sed hoc scit simplicissimo modo; ex quo nulla in obiecto distinctio provenit: vt enim ea ipse distingueret, deberent in suo intellectu representari, sicut in nostra.

SECTIO III.

Nostra sententia proponitur.

¹⁴ Prima conclusio: Deus non facit propriè ens rationis, de quo in primo notabili egimus. Hæc est communis inter Doctores, & probatur.

Primò autoritate D. Pauli ad Hebræos 4. vbi sic ait: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius, per aperta Græcè est τετραπλησυνος, τετραπλησιν, quod vt erudite aduertunt Salmeron, & Cornelius à Lapide, τετραπλησιν, idest à collo deducitur, ac primo verti potest cum Theophylacto iugulata, aut decollata, & cum Chrysostomo excoriata, vt sit metaphora ab omnibus iugulatis, & excoriatis petita, quod sicut oves pelle sua excoriatæ à collo ad caudam vsque nude sunt, & omnia eorum extima, & in-

tima reuelantur, sic diuinæ scientiæ omnia sunt nuda, & aperta; Gagneus autem Ἰσχυρίῃ inquit, est à collo ad caudam medium secare, siue per medium dorsum findere, ita vt intestina animalis filci denudentur, & pateant intuenti, sic Deo omnia patent videnti, perinde ac si diffusa essent. Tertio est Erasmus Ruera, & Escapula in legico, Romanus in hunc locum, & Audatius in tractatu critico τραχιζο, inquit est in col- lum, siue cetericem reclino, & resupino hominem, aut animal, ita vt facies resupinata omnibus appareat, & conspicua proponatur, quo sensu Perius poeta ait, aulam resupinat amici, resupinat, idest aperit patentem, & conspicuam facit, vt eam quique perfructetur, sic Deus omnia quasi resupinata in facie nude, & clarè intuetur, oculos Dei simul vniuersa cernentis inquit August. *serm. 2. de tempore*, non abdita locorum, non patietum septa secludunt, nec solum ei acta, & cogitata, verum & agenda, & cogitanda sunt nota; ista vera scientia summi iudicis, cui pervium est omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, Gentiles id ipsum agnouerunt, ita Milesius septem sapientum Græciæ sapientissimus, dicebat homines sibi persuadere debere deos omnia clarè cernere, deorumque omnia esse plena, seipsumque contemplari; dilucide Homerus quid sit Deus ita definit, ἥλιος οὐρανὸν ἴσθαι πάντεσσι κοῖται, est sol, qui omnia videt, & omnia audit. Nimirum, vt ait sapiens, in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos, & vt ait Eberardus; bonos contemplantur, tum comprehensivè clarè, & vt in se est; primo seipsum, qui summe bonus est, cognoscit reuelata facie, & creaturas, quæ bonitate participata ab eo bonæ sunt; hinc Ægyptij pingebant Deum, quasi oculum vaculo innitentem, vt significarent Dei omniscientiam, omnia contemplantem, & clarè perspicentem, ita Olyrin Deum suum pingebant, quasi Septem habens in se oculum incisulatum, ait Macrobius *lib. 1. cap. 210*. septem significat dominium, & potestatem regiam, oculus omniscientiam; vnde Græcè διὰ τὸ τὴν διάνοιαν, id est ac clarissimè videndo sine fictione nominant, ideoque Cleantes asserit Deus omnia videt claris oculis, vbi non decipitur, sed omnia inquit Casiodorus, sine veste deceptionis contem- platur nuda, & aperta.

Ex quibus omnibus sic arguuntur: Deus Paulum nude, sine aliqua deceptione, & sine veste fictionis cooperta apertè & clarè, non solum seipsum: sed omnia creata contemplantur, vt in se sunt: ergo Deus omnia ex se primo sine ente rationis aliquo fabricato cognoscit. Hæc consequentia clara est, quia res vt in se sunt non habent ens rationis, quia vt in se sunt, existunt à parte rei secundum statum realitatis, sed à parte rei non possunt habere res aliquod ens rationis, quia ens rationis est ens fictum & apparens, ac proinde non est à parte rei: ergo si Deus videt omnia, vt in se sunt, & in se nullum habent ens rationis, videbit sine dubio sine ente rationis ali- quo; item, quia si cum ente rationis videret Deus à se primo fabricato in rebus non videret nuda, & aperta omnia, vt ait Paulus; sed potius videret illa vestita, quasi vestibus entis rationis, nam quod est absolutum non videret, vt nudum ab- solutum: sed vt circumdatum, vestitum & affec- tum relationibus, & priuationem non videret.

Quaest. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 57

vt nudam in esse priuationis: sed quasi vestita qualitate positua, & oculum cœcum non videret nudum & sine aliqua entitate positua, quæ est potentia visua, & cum carentia illius entitatis positua: sed potius videret ipsum oculum cœcum, vt coopertum, & quasi vestitum qualitate; vnde omnia, & aperta videret, vt ait Paulus, nudum enim contemplatur intellectus aliquod, quando vt in se est, & sine aliquo quasi addito videt, v.g. ideo quando coopertus est homo vestibus, quia habet aliquod superadditum in se dum sic videtur: non videtur nudus & apertus sed potius vestitus, & coopertus, & quia Deum in hac vita videmus, quasi lucem, quasi ignem; & Angelum quasi iuuenem, quia Deus nec est lux, nec Angelus iuuenis, dicimur spiritualia vt velata corporeitate, & vestita materialitate cognoscere, cum vt corporea videamus & vt affecta corporeitate.

Vnde ad significandum hoc, & ad denotandum Paulus indicandumque nos spiritualia non cognoscere nuda: sed velata, vestita, & cooperta, minimeque aperta, vt in alia vita, ait tunc videbimus Deum sicuti est reuelata facie gloriam Domini speculantes, id est ablatis velaminibus, & quasi vestibus entis rationis, quibus consideramus spiritualia cooperta, cognoscendo illa vt corporea, Deum vt distinctum à suis attributis, vt relatum ad creaturas, cum nihil horum habeant; quare ait Augustinus, tunc reuelabuntur omnia, quia sine fucis, sine vestimentis fictionum, & deceptionum nostrarum videbimus res sicuti sunt, nihil addendo, nihil demendo ab eis: sed si cum ente rationis cognosceret Deus; cognosceret sine dubio obiecta vestita, & cooperta; vnde minime nuda, & aperta: ergo si vt ait Paulus nuda, & aperta videt, videbit sine dubio absque vestibus entis rationis, vt in se sunt, non cognoscendo res, quæ non habent distinctionem cum illa absoluta cum relatione, simplicitate cum compositione; vnde nullum ens rationis fabricabitur à Deo: ipseque nulla apparente veste entis rationis vestitum cognosceret, nam qui ens rationis facit, ideo operatur illud, quia quod absolutum est ad modum relatiui cognoscit cognoscendo illud ac si esset relatum, & quod est idem sine distinctione ac si haberet illam, & priuationem non vt priuationem, sed vt qualitatem posituam; sed hoc modo cognoscere est cognoscere vestiendo res vestibus entis rationis, quas in se non habent, v.g. absolutum, vt dixi, cognoscit qui facit ens rationis, non nudum, vt absolutum; sed vestiendo illud relatione, & quasi cooperiendi illud tali veste relatiua, & quod est idem cognoscendo non vt nudum idem, sed potius quasi indutum distinctione, & aërem tenebrosam non vt sine qualitate positua; sed potius vt vestitum illa; atqui Deus non cognoscit vt vestita, nec vestiendi obiecta fictis relationibus, sed aperta, & aperte, nec aërem sine luce cognoscit vestitum qualitate: sed nudum à tali ficta quasi veste, & apertum, & spiritualia non vt vestita, & vestiendo corporeitate, vt v.g. nos Patrem æternum vestimus senectute, & Angelum iuuentute, & pulchritudine corporea, sed omnia omniscientia Dei, vt in se sunt, nihil illis fictum addendo, nec ab illis tollendo, minime velando, vestiendo, aut induendo, sed potius vt nuda omnia, & aperta, & vt ita loquar decollata, iugulata, excoriata, resupinata, & vt in se sunt comprehendit, ita vt spiritualia non

I.P. Tom. II.

cognoscat vestiendo corporeitate ficta, seu ente rationis, & factum ens rationis ab ente creato, non cognoscit, ac si esset verum ens, & vestiendo illud veritate, sed potius quia res nuda videt verum cognoscit vt verum, fictum vt fictum, ens reale vt reale, ens rationis vt tale, solidum vt solidum, & apparens vt apparens, omnia tamen nihil addendo, vt dixi, nec demendo ab illis, quia omnia nuda, vt ait Paulus, videt, & aperta: ergo non facit ens rationis, vt euidenter sequitur ex verbis Apostoli, quia si faceret vestiendo cognosceret, vt nos quando facimus illud, res vestiendi cognoscimus; vnde sic vestita obiecta à se cognosceret, ac proinde non nuda, & aperta, nec sicuti sunt comprehenderet, nos enim quando fingimus ens rationis, ideo non vt in se sunt res cognoscimus, quia cognoscimus spiritualia vt corporea, relata vt absoluta; e contra vero absoluta vt relata, ac per consequens non nuda, sed induta, & vestita: ergo si Deus faceret ens rationis vestita, & vestiendo illa, & non vt nuda, & in se sunt cognosceret, quando immediatè opponitur verbis Pauli Apostoli.

Hic locus Pauli consonat cum verbis Iob, 15 eandemque veritatem declarat, ac illa Iob num. 8, vers. 4, sic ait: Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo? & tu videbis, supra quæ verba aduerte cum D. Gregorio, Aug. & Hieron. sensum illorum verborum hunc esse, Deus non habet oculos carnos, id est humanos. Caro enim homo est, & ideo non iudicat Deus, de externa tantum specie, intima enim penetrat, & veritatem non solum exiit ex profundo: sed vbicumque delitescat perspicit clarissime, in quo non se gerit vt creatura, quæ haud verè, & clarè, sed fucate, & apparenter iusta vt iniusta iudicando, spiritualia vt corporea, bona denique vt mala contemplando, & iniquo iudicio condemnando, propter maximas imperfectiones, quibus tota intingitur, ac perfunditur creatura propter corpus denique mortis huius à quo liberari volebat Paulus, dum exclamabat, dicens: quis me liberabit à corpore mortis huius, iudicium, & cognitio; propter videndi facultatis præstantiam, reliqui etiam sensus suam ex oculis appellationem mutuari solent, nam totius corporis sensus, seu sensatio oculorum nomine significari vsu venit, vt supra diximus, quodque significauit Iob, cap. 13. Dum inquit, non abstulit mala ab oculis meis, à meo nimirum corpore, cum grauissimos dolores sentiam, ac perforam audiens (prop belle ex Hebræo) & Septuaginta, videns Iacob, quod alimenta venderentur in Egypto, idem 1. Reg. 23. vidit &c. hinc, etiam reliqua, quæ ad sensus omnes pertinent visibilia passim nuncupantur, vt notauit Aug. ad animum etiam oculus transferri solet, & pro interna mentis intelligentia sumi; hinc dicitur mens, aut cor, quasi oculus vt Actuum 16, cuius dominus aperuerat cor; item, & excæcari, & obscurari dicitur vt Marci 8. nondum cognoscitis, nec intelligitis, adhuc excæcatum cor vestrum, & oculos habentes, non videtis, sic etiam Num. 24. dixit: homo cuius obturatus est oculus, non corporeus, vt quidam existimauerunt, sed mentis, qui primum enim visionem non habuit prophetica, tunc iam apertis oculis, & lumine prophetico circumfusus, multa videbat præclara.

Aduerte quod in Scriptura non solum male
h videre,

videre, sed etiam male audire soleat carnis oculus, nam cum humanus, & carnis oculus exterram tantum faciem contempletur secum frequenter rapit, quoque mentis iudicium, ne ad interiora penetret, quare fallitur, fugit, ac decipitur, & ideo dicebat David: *auerte oculos meos ne videant vanitatem*, id est, ne externa duntaxat rerum specie delecter: sed penetrent ad interiora, perspiciam quid subit solida substantia, an externus splendor inanis sit, nam verbum auertendi est eo loco propriè scopum collimare, non decipi vel pertinaciter fac oculos meos, ne me decipiant externa specie vanissima, & ficta rei, solumque apparentes, hoc enim affert carnis nomen, id quod oculus pellicit, & detinet, quam vanissimum, & verum aurum non sit, quod splendet, & fulget dummodo conspiciatur, ac videatur, sic habetur *Isai 13*. *Ægyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non spiritus, externa species, sine re, sine robore; sic igitur sunt oculi carni secundum carnem iudicantes, ac divini oculi à videndi perspicacitate, sine fallacia, sine deceptione, sine fucro, & fictione semper maximopere tamen dantur, quia omnia ut sunt sine aliqua imperfectione videt, nihil ab eis demendo, vel addendo, maximaque claritatis excellentia oculorum luminibus usurpat ea omnia, quæ in objectis sunt, non autem aliter ac sunt, præterquam enim quod ipsum Dei nomen Græcum hanc videndi efficacitatem præferat *Theos*, nimirum, à *Thaōme*, quod est pure, & sine aliqua fallacia, aut imperfectionis mixture spectare, despicere, contemplari, ut observat Gregor. Nicen. *orat. 9. in Cantic.* ideoque ait dici sponsum similem Capræ, quod animal *Dorcus* dicitur à vi cernendi, Deus enim de supernis caelorum montibus despectat cuncta terræ, ideoque oculos suos passim commendat in scriptura Deus ab illis omnibus rebus, quæ necessaria sunt, ad purissimam sine fictione, & fallacia cernendum, & sine errore villo videndum, atque iudicandum cum summa perfectione cognoscendo vnumquodque prout est, & secundum quod est, cum summa adæquatione cognitionis, cum objecto, ac summa comprehensione ipsius, primo quidem à lumine, nam quamvis res in tenebris plusquam simeris demersa, & sepulta sint; habet tamen Deus insitum lumen, ut quasi per extramissionem radiorum objectum splendenti luce perfundere videatur, & videndo aptissimum reddat tali visioni, *Ecclesiastici 13*. oculi eius lucidiores sole. *Apocalip. 1. & 2.* oculi eius tanquam flamma ignis, & clarius Daniel. novit in tenebris constituta, & lux cum eo est.*

Præterea non solum est proximus objecto sed etiam intime, per quasi lapsum illi præsens ipsique conjunctus, quæ conjunctio non solum non impedit divinam visionem, sed potius in causa est, ut res ab ipso intime cognoscantur, *Proverb. 19.* in omni loco, oculi domini. *Hieremia 23.* si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus. Tandem divini oculi eminenter continent, infinitoque intervallo superant omnes alias videndi facultates; atque adeo oportet divinam vim cognoscendi infinitam esse certissimam, clarissimam, evidentissimam, nunquam fallacem, haudquaquam errori obnoxiam, semperque recte iudicantem, & ut sunt in se res omnes cognoscentem, quapropter verbis à nobis citatis, ait *Iob*: numquid oculi tibi

carnei sunt, aut sicut videt homo, ita & tu videt bis; quasi diceret propter summam tuæ scientiæ perfectionem infinitamque præstantiam infinite distas à iudicio, & cognitione hominum, ipsi enim falluntur, ac decipiuntur bona pro malis, mala pro bonis, iudicantes spiritualia ut corporea, simplicissima ac si essent composita, summe eadem ut distincta, una ac si essent plura, & ficta ut vera, apparentia ut solida, absoluta ut relata, & hoc totum, quia carnis, id est imperfectis oculis vident; tu autem quia non carnis, sed infinita scientiæ perfectione præditis oculis vides omnia sine errore, ac deceptione; & ut vno verbo pandam, non ut homo, cum ignorantia, sed perfectissime, & clarissime omnia circumpicias; hominem errare necesse est in iudicandis, & decernendis rebus aut per imprudentiam, aut per ignorantiam; tu autem, inquit August. quia infinitus es, nec in iudicanda re, nec in discernenda veritate, errare villo modo potes; vnde minime decipi, nec iudicare vnum pro alio, aut cognoscere rem aliter ac est, sic explicant DD. Ecclesiæ ut Gregor. Hyeron. Fulgentius, & alij hunc locum.

Ex quo ita argumentor, Deus non videt ut homo, & non cognoscit ut homo, ut ait *Iob*; sed in cognitione hominis, & creaturæ duo dantur, & perfectio evidentiæ, ut sic, certitudinis, veritatis cognoscere rem, sicuti est, &c. & in his perfectionibus ut sic conceptis, non cognoscit Deus aliter ac homo, quia evidentiæ ut sic, veritas, & certitudo, sunt perfectiones simpliciter sine imperfectione ac perconsequens perfectiones simpliciter simplices; aliud datur in cognitione creatæ, nimirum finito modo cognoscere, limitato & per discursum, &c. & in his aliter cognoscit Deus, quia infinitè comprehensivè simplicissime cognoscit; ut vero de his imperfectionibus ratione quarum homo cognoscit aliter, ac Deus, non loquitur *Iob* verbis relatis, quia tales imperfectiones se habent ex parte cognoscentis; loquitur enim *Iob*, de differentia ex parte objecti cogniti, cognitio enim creatæ, & præcipue humana habet quandam imperfectionem propriissimam creaturæ, maximeque propriam hominis, & quæ correspondet lapissimè intellectui ipsius, cognoscere videlicet objectum aliter ac est in se, errando quatenus cognoscit vnum, ac si esset alterum, simplicissimum ac si esset distinctum, compositumque ex partibus, spirituale iudicando ut corporeum, negativum ut positivum, cognoscendo vanum & apparens ut solidum iudicando, quæ maxima imperfectio est, radicaturque in limitatione creaturæ, ratione cuius maxime discriminatur ac differt Deus à creatura, & de hac (loquitur *Iob* secundum sensum literalem) differentia dum dicit, numquid oculi tibi carni sunt; aut sicut videt homo, ita & tu videbis; ac si diceret homo videt rem aliter ac est, cognoscendo quod non est, ac si esset in illa, talique afficitur imperfectione in sua cognitione, tu minime ita vides, cum perfectissime, ac clarissime vnumquodque quatenus est comprehendas, & ratio est quia non habes oculos corporeos, id est imperfectos, sed in solo luminis splendore præditos, aptissimolque ut omnia præsentissima cognoscas; penetretque etiam minima, cuiuscunque rei, sed in solo illo modo datur fabricatio entis rationis, solumque illo modo cognoscendi potest fieri ens finitum,

Quæst. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 59

ens, & apparet, ut patet ex supradictis, & ex ipsa experientia constat: ergo si Deus nullo modo ut creatura cognoscit rem aliter, ac est, nec iudicat aliter de rebus quam ipse sunt à parte rei, sequitur evidenter nullo modo facere ens rationis ut homo, nam si faceret illud ipsumque operaretur, sine dubio haberet propriissimum modum cognoscendi, quo tale ens fictum solet operari creatura; unde spirituale cognosceret ut corporeum, absolutum ut relativum, idem ut distinctum, & tandem cognosceret ut homo, cui contradicit evidenter Iob, cum ait; *aut sicut videt homo, & tu videbis*: ergo ex scriptura liquido patet, Deum minime facere tale ens fictum, apparet, & rationis, quod solum illo modo fit; nam si Deus rem simplicissimam ut compositam, negativam ut positivam videret, esset cognoscere rem aliter ac est; & sine dubio tali modo cognoscendi fingeret, quod est proprium hominis, & creaturæ ipsiusque propria imperfectio, unde si cum hac imperfectio videret, & cognosceret Deus quæ propria est hominum, aut ceterarum etiam creaturarum, de quibus ut multi DD. volunt loquitur Iob, nomine Hominis, quo modo posset dicere Iob: Nunquid oculi carni tibi sunt, aut sicut videt homo, ita & tu videbis; nam certe posset dicere quispiam, Deus maxime videt ut homo, quia fingendo cognoscit, & percipiendo rem aliter ac est fabricatur entia rationis, & ficta.

Confirmatur, quia in originali videndi verbo correspondet verbum Hebræum quod significat fucate fallaciterque cognoscere sine sinceritate, & puritate, non adæquando se cum objecto, sed potius cognoscendo ipsum aliter ac est, & sic locum illum *Cantic. primo*: nolite me considerare; Septuaginta nolite tibi sunt, quod fulcra sum, idest nolite me aliter cognoscere ac sum, cognoscendo in colore fusco deformitatem, nam licet fusca pulchra sum, sic multi DD. itaque ait Iob, mos est hominum videre rem aliter, ac est cum fictione, cum deceptione, & fallacia non representando res ut sunt, tu autem infirmus sapiens non sic, sed cum summa veritate, cum summa claritate, maximeque perfectione, uti sunt nuda, & aperta cognoscis vnumquodque prout natura propria exigit, cum summa adæquatione objecti ad cognitionem divinam, non vnum tanquam si esset aliud videndo absolutum, videlicet ut relativum, negativum ut positivum, malum ut bonum, sed potius bonum ut bonum, malum ut malum, vnumquodque denique ut in se est; in quo maxime opere distinguere ab eo quod creatum est, ab homine inquam. Ex quo sic colligo, Deus non cognoscit ut homo rem aliter ac est, idem nimirum ut distinctum, &c. sed potius cum summa veritate vnumquodque cognoscit quatenus est, & ut est; ergo evidenter sequitur ex verbis clarissimis Iob Deum non facere ens rationis, quia ens rationis, ut supra late probatum manet, non fit nisi per cognitionem qua cognoscitur res aliter ac est, quæ minime in Deo reperitur, quia non videt, nec cognoscit, ut homo.

16 Hæc sententia est expressa D. Bernardi, *lib. 9. de considerat. ad Eugenium cap. 7.* ubi negat absolute Deum posse facere distinctionem rationis, cum eadem ratio sit de hoc ente rationis, ac de ceteris, reliqua etiam negare necesse est. Hæc, enim sunt aurea verba mellissui Doctoris; est
I. P. Tom. II.

autem vnus, & quomodo aliud nihil, si dici possit vnissimus est, quid plus, vnus est, etiam sibi (antea autem sic dixerat eodem capite) non habens, quod ad numerum dividat. Ex quo sic argumentor, Deus est in esse rei vnus; imo & vnissimus, ita ut in esse rei non possit aliud vniti-
us excogitari, quæ vnitas Dei est; item sibi vnus est, id est non solum essentia Dei vnissima est, sed etiam respectu cognitionis Diuinæ non potest non esse vnus, quia in Deo nihil est quod ad numerum dividat, ubi pro certissimo habendum est non loqui Bernardum de diuisione reali; nam omne spirituale, etiam licet creatum sit, non potest diuidi realiter, quanto minus Deus: ergo non loquitur tantus Doctor de tali diuisione, quia agere de illa stultum esset; ergo loquitur de alia diuisione, idest de qua poterat rationabiliter dubitari, ut nunc dubitatur inter Theologos, id est de diuisione per intellectum, ita ut in Deo nihil sit, quod possit ipsum diuidere in numerum, sed si esset cognitio in Deo faciens distinctionem rationis esset aliquid in Deo diuidens ipsum, cognitio nimirum quæ in ipso est diuidens ipsum: ergo aliquid in numerum diuidens daretur in Deo, sed ait Bernard. nihil esse in Deo taliter ipsum diuidens: ergo nulla cognitio est in Deo quæ distinguat ipsum Deum, distinguere enim & diuidere synonyma sunt.

Item, quid ait Bernard. & quid addit, verbis 17 exaggeratiuis dum dicit, quid plus vnus est, etiam sibi, antea dixerat merum simplex est Deus, est autem vnus amplius, & quomodo aliud nihil, magis addit, si dici possit vnissimus est: ergo non loquebatur in illis verbis de vnitate in esse rei, nam plus est esse vnissimum superlatiue, quam positive vnum: ergo si dum dicit esse vnum sibi verbis exaggerantibus, & plus significantibus, loquitur non in esse rei, sed in esse cognitionis, dicendo non solum Deus in esse rei est vnus, sed in esse intentionali, idest respectu suæ cognitionis, ac proinde ait sibi, ut ostendat non solum Deum esse sibi vnum à parte rei, & vnissimum, sed etiam in esse objecti, & respectu sui ut cognoscentis, quod plus est quam esse à parte rei vnissimum, quia de hoc non dubitatur, & dubitatur de illo tanquam de difficiliore; vnitas enim quam Deus habet, etiam sibi est, cui enim potest esse mea vnitas, nisi mihi: ergo amplius ne eludat vocabulis, & actum agat, dum dicit sibi, idest ita Deus vnus est, ut si recte cognoscatur, ut à seipso cognoscitur, etiam vnus sit, sine distinctione non solum in esse rei, ut de se patet, sed etiam in esse intentionali, ut ab aliquibus male dubitatur.

Virgo hoc, quia ipse S. D. asserit nos distin- 18 guere attributa, & perfectiones diuinas profunditatem nimirum, longitudinem, & sublimitatem, facereque nos quaternitatem ex illis per intellectum, quod non fit propter perfectionem in cognoscendo nostram. Sed potius propter nostram imperfectionem, & infirmitatem, ut explicat his verbis, quid est Deus? Longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Quid inquis tenemus re quaternitatem, minime visus sum protulisse plura: sed vnus es, alioquin hoc singulum est, nobis autem quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, contendimus apprehendere vnum, occurri veluti quadruplicatum, & quia adhuc in querendo res est, interim ascendamus quadrigam istam, utpote infirmi & imbecilles
h 2 cilles

illes indigentes tali vehiculo; sic ille, ex quibus sic argumentor, quia infirmi sumus, & imperfecti facimus Deum distinctum mente quadruplicatum: sed imperfectio non potest dari in Deo, & in sua cognitione: ergo non potest diuidere, distinguere, nec distinctionem rationis facere, alias esset infirmus & imperfectus, quod abominatus, inquit Bernardus, & abominor dicere.

19 Item, nam ideo ait nos quadruplicatam facere præcognitionem, quia nostra cognitione, nec in cognoscendo possumus cum Deo simplicitate contendere, ut patet: sed Deus potest secum, ut ita dicam, in cognoscendo simplicitate contendere, id est tam simplex est cognitio, tam infinita, tam perfecta, & tam indiuisibilis, sicut ipse Deus, quod non potest aliter esse: ergo non potest Deus distinguere, & quadruplicatum reddere se, per cognitionem. Videte alias ponderationes P. Vazquez tom. 2. 1. part. disp. 118. cap. 2. nobis enim nostræ sufficiant.

20 Etiam hæc sententia est D. Thom. pluribus suis doctrinæ locis, & præcipue quæst. 7. de potentia, art. 6. ubi asserit, id ipsum quod Bernardus dixerat ex infinitate nimirum, & imperfectione nostri intellectus provenire ut rem non integrè, sed distinguendo cognoscamus, quod minime datur in Deo, unde Deus non distinguit villo modo, hoc ipsum probat 1. part. 9. 3. art. 4. in corpore, & in solut. ad tertium, & de unitate, quæst. 3. art. 2. ad 3. ubi clare docet radicem distinctionis in Deo provenire ex eius infinitate, & finitate, limitatione, ac imperfectione intellectus nostri, quod pluribus, & inadæquatis conceptibus concipiat ea quæ in Deo sunt cum maxima identitate, ac simplicitate: ergo ex mente D. Thom. intellectus qui est infinitè perfectus qualis est diuinus, non potest ea quæ in re non sunt distincta distinguere, & cætera entia rationis, per consequens villo modo facere, & opuscul. 42. cap. 1. 1. part. quæst. 16. art. 3. ad 2. & 1. 2. quæst. 8. art. 10. ad 3. asserit ens rationis per fictionem, & cognitionem falsam cognoscentem rem aliter ac est, sed Deo repugnat cognitio fictiva, & falsa, ut fide diuina constat, & lumine naturali patet: ergo secundum mentem D. Thom. Deus non potest facere ens rationis, alia loca D. Thom. breuitatis ergo relinquo; prius enim me lux deficeret, quam possem omnia Angelici Doctoris dicta in fauorem nostræ sententiæ in lucem proferre: eia aggerationum pondere, argumentorum lateribus aduersarios premamus.

SECTIO IV.

Rationibus nostra sententia probatur.

21 PRIMò: omnis cognitio diuina tam intensiue, quam extensiue est infinita, & perfectissima comprehensio: sed à comprehensione diuina non potest fieri ens rationis: ergo Deus non potest sua cognitione facere ens rationis. Maior est certa, quia quidquid est obiectum cognitionis diuinae, aut est creatum, aut increatum: sed nihil creati, aut increati latet cognitionem diuinam, imò potius adæquatè, quidquid est cognoscibile in illis cognoscit perfectissimè, clarissimè penetrando omnes formalitates illorum, ita ut nulla

ex illis possit fugere cognitionem Dei: ergo omnis cognitio diuina est comprehensio, cum huiusmodi cognitio in se contineat omne requisitum ad veram, infinitam, ac perfectissimam comprehensionem, ut patet ex his quæ ex mente D. Aug. optimè sententis de diuina comprehensione optimeque meritum de ipsa adduximus sup. quæst. præcedenti. Minor sic probatur, quia omni prædicato essentiali comprehensionis diuinæ repugnat fabricatio entis rationis: sed quando aliquid omnibus prædicatis essentialibus alicuius repugnat etiam constituto per illa prædicata: ergo repugnat comprehensioni naturæ diuinæ fabricatio talis entis. Minor est clara, quia constitutum per prædicata essentialia non distinguitur ab illis omnibus: ergo si illis repugnat constituto per illa repugnare necesse est; imò si solum vni ex prædicatis essentialibus repugnat omnibus pro ut in constituto, & toti constituto ab illis sine dubio repugnabit, v. g. quia brutalitas repugnat rationalitati, repugnat etiam enti substantiæ viuæ, animali, non pro ut præcisè, sed pro ut contra dictis à rationalitate ad hominem, & quatenus cum illa constituunt speciem humanam; & quod certius ac euidentius est, repugnat toti homini constituto per rationalitatem, & cætera prædicata: ergo si omnibus prædicatis essentialibus comprehensionis diuinæ repugnat facere ens rationis, vel minimum alicui ex illis absolute, & simpliciter toti comprehensioni diuinæ repugnabit.

Maior illa sentim, & paulatim probatur; nam hæc sunt prædicata essentialia comprehensionis, veritas, certitudo, euidencia, seu claritas, intuitiue cognoscere, hoc est percipere rem ut in se est; item ut cognitio tam clara, & intensa sit, tantumque extendatur, quantum necesse est ad exactè cognoscendas, & penetrandas in obiecto omnes formalitates, eminentias, habitudines, & connectiones, quas ex natura sua habet, & habere potest, cum omnibus rebus, à quibus ipsum pendet, & quæ ab ipso pendere possunt, & ut ait D. Aug. ut nihil lateat cognoscentem, aut eminenter, aut formaliter contenti in obiecto: hæc omnia prædicata essentialia constituunt comprehensionem diuinam, ut sumitur ex D. Aug. 12. de ciuitate Dei, cap. 18. & epist. 112. cap. 5. 6. & 7. & 8. serm. 38. & lib. 3. & 4. de Trinitate, lib. denique de Genesi ad litteram, præterea ex D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 7. & 8. 3. contra Gentes, cap. 55. & 56. & vbique agit de comprehensione, ut in quæstion. 8. de veritate, artic. 2. & 6. in corp. quod probat latissimè P. Suarez, tom. 1. in tertiam partem tractatus de incarnatione, quæst. 10. art. 4. disp. 26. sect. 1. videte si volueritis, vobisque libenter legere: sed his prædicatis essentialibus repugnat fabricatio entis rationis: ergo omnibus constituentibus diuinam comprehensionem, totique comprehensioni repugnabit. Hæc minor in qua est difficultas sic probatur, maior enim euident est, & primo quod repugnet veritati cognitionis diuinæ, ratione cuius nihil latet ipsam cognoscendum in obiecto, nec amplius quam est in obiecto cognoscit, quia si fieret ens rationis à cognitione diuina, aut esset negatiuum, aut positiuum, negatiuum ens rationis sic cum cognoscitur in obiecto carentia rationis sic cum cognoscitur in obiecto carentia alicuius perfectionis, quæ datur in illo, cum verè non sit talis carentia: atqui Deus non potest cognoscere carentiam alicuius diuinæ perfectionis in ipso: ergo Deus non potest facere ens rationis nega